Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1551
Quelle:
Copyright:

derici III. exautorationem adſignant anno 752. et detentionem Monaſterio *de Sithiu* hodie S. *Bertini Audomarenſis*.

VII. *fol.* 189. ſine titulo, ſed ut praevius habet Indiculus: *Tractatus de celebratione miſſarum ſuper capitulum: Cum Marthe, m. Bernardi Oliuerij.* Incipit: *Dedit in celebracionibus decus et ornauit tempora usque ad conſumacionem vite. Eccl. 47. Diuina ſapientia que per ſacrificia colitur, per ſacramenta percipitur* &c. Finit: *ſed ſua magna miſericordia conferendo eis uitam eternam ad quam nos perducat* &c. *Explicit expoſitio ſuper decretali de Canone miſſe ſeu de celebratione miſſarum.* Meminit hujus Opuſculi *Oſſingerus* in vita Autoris, qui ex Ord. *Erem. S. Aug.* ad varios *Hiſpaniae* Epiſcopatus adſumtus in *Dertonenſi* diem obiit 1348. Vide *Biblioth. Auguſt.* p. 642.

VIII. *fol.* 202. ſine titulo, ſed ex *Indiculo* Codici praefixo: *Punctus notabilis de Uſuris Magiſtri Gerardi de Senis.* Incipit: *Eſt ergo primo videndum quid ſit uſura. 2° in quibus rebus uſura committitur* &c. Et finit: *Apparet ergo ex omnibus hijs. quem ordinem debeat ſeruare uſurarius in reſtituendo &c. Gerardus de ſenis.* Ex majori Opere *Punctum* hunc decerptum putem; adfert enim *Oſſingerus* ſupracit. p. 828. tria diverſa *Gerardi Senenſis* de hac materia Scripta, quorum Duo typis excuſa in *Italia* Autoris patria, qui et ipſe de *Eremitarum* familia *Pariſiis* et *Bononiae* in cathedra ſcholaſtica usque ad an. 1336. inclaruit.

IX. *fol.* 204. absque titulo, *Epiſtolae* de laudibus et miraculis *Hieronymi* ſuppoſitae *Auguſtino* et *Cyrillo Hieroſol.* Prior incipit: *glorioſiſſimi chriſtiane fidei athlete, ſancte matris eccleſie lapidis angularis* &c. Altera: *Venerabili viro epiſcopo eximio. auguſtino yponenſi preſuli* &c. Utraque integra eſt et poſt plures jam *Sec.* XV. editiones legitur in edit. *Vallarſ.* Opp. *Hieronymi* T. XI. p. 325.

X. *fol.* 219. p. 2. Brevis Narratio de *Guelforum* et *Gibellinorum* origine ſumta ex *Andreae Ratisb.* Presbyteri Chronico, paucis mutatis. Absque titulo incipit: *Conradus tercius frater hermanni ducis ſueuorum regnauit annis quindecim* &c.

XI. *fol.* 221. *Poſitio* (ita Indiculus praevius) *doctoralis prolixa et bona de poteſtatibus, ut creditur M. H. de Haſſia.* Initium ejus eſt: *Utrum eccleſia ampliando poteſtate duplici continue creſcat uirtute paſſionis chriſti ihesu.* &c. Finis: *Ex qua concluſione ſequitur reſponſio quod queſtio quando querebatur Vtrum eccleſia ampliata imperio karoli continue creſcat vi paſſionis Jheſu chriſti quantum ad queſitum eſt ſimpliciter dubia.* Non invenio *Poſitionem* hanc in Catalogis Operum *Henrici* noſtri, niſi ea ſit, quam *Poſſevinus* de *Poteſtate Eccleſiae* inſcribit in *Adpar. S.*

XII.